OLAI
RA.
SII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

DE COGNITIONE HUMANA UNIVERSA.

Hoc eſt,

De omni ſcibili humano univerſim ſumpto,

Exercitatio ſingularis.

Lumen Coronidi Logicæ non incommodè illatura; & quæ ei deſunt, suppletura.

Ad Diſputandum in Gymnaſio Gedanenſi propoſita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philoſ. Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

GEORGIO HÜBNERO,

Gurâ Sileſio.

Ad diem 28. Julij.

In Auditorio Philoſophico.

Horis ab 8. matutinis.

GEDANI, Typis Rhetianis 1640.

2.

2

De Cognitione humanâ.

Exercitatio singularis.

Lumen Coronidi Gymnasij Logici commodè illatura.

NOn bruta aut ad belvarum stuporem dejectos nos fecit Deus, ut vel ventri tantùm obedientes viueremus, vel nullâ prorsùs re liberaliore occuparemur: sed homines, animantes ratione intellectuq; instructas, quas & indagare res voluit: & abstrusas rationes nexusq; causarum latentium discursus adminiculo inquirere ferre potest. In quo si hominem curatiùs se occupantem viderimus: & verè hominem esse, & inter cœteros non infimo hominis fini satisfacere animadvertamus. Cumq; cognoscibile Philosophicum in *Coron. Gym. Log.* exhibuerimus, ibiq; omnia completè pertractare pro destinato nostro nequierimus: æquum æstimatum est, & cognitionem humanam universam distinctiùs pertractatam exhibere: & quæ Philosophiæ tractationi deesse videbantur, hoc loco velut additamentum superadjicere.

2. Cognitio humana Universa *vel sensitiva* esse potest, quæ sensuum externorum & internorum beneficio perficitur, cum brutis nobis communis, & in illis in multis sæpè superior est: Hæc hujus loci propria non est, sed ad Physicam remittenda: *vel intellectiva s. ratiocinativa*, ratiocinandi vi, ut intercurrente medio, expedita. Hæc hu-

jus loci propria, & proinde sui objecti respectu expendenda est. Hæc *vel in generali* spectari potest, *vel* speciali. *Generali*, cum partim ipsa cognitio, ac objectū ejus, cognoscibile, universìm repræsentatur. *Speciali*, cum generales cognoscibilis species ut tales, generaliter exhibentur. Vtrumq; in habitu aliquo fieri solet, quem alij *Gnostologiam*, alij *technologiam*, *hexilogiam*, *& artium doctrinam* appellant.

3. Cognitionis humanæ fundamentum quia *Cognoscibile* est, cognito hoc ipsius cognitionis indoles facilè cognoscetur. *Cognoscibile* hic est *perceptibile, intellectui humano ad distinctè cognoscendum, quocunq; modo objectum.* Ejus disciplina Gnostologia dici queat, *quæ habitus animi principalis, cognoscibile ut sic in generali suo esse & speciebus proximè ex generali esse fluentibus adæquatè distinctèq; contemplationis ut proximi finis gratiâ repræsentans, definiri poterit.* Habitus animi principalis quid sit, ex *Cor. Log. t. 9. seq.* patet. Et animi habitus est, ut subjecti inhæsionis: Intellectus, ut subjecti perfectionis & informationis, proximè n. Intellectum in cognoscendo, non voluntatem, aut memoriam perficit. *Dari etiā habitus intellectus*, quos nonnullos negare *c. l. t. 10.* notatum est, facilè patet. Potest n. Intellectus promptior, facilior, distinctior, accuratior, & perfectior in intelligendo, judicando, combinando, fieri, ac per naturam est, ut experientia literas continuè tractantium docet. At promptitudo illa â nullo esse potest, quàm habitu. Hic n. principium promptam & facilem operationem suppeditans est. *Species intelligibiles* objectum tantùm repræsentant, illud intellectui uniunt, quæ unio est ipsa objecti apprehensio. Sed habitus

prompti-

promptitudinem iudicandi de veritate aut falſitate objectorum intellectui conciliat. Nam & ſpeciebus receptis, & terminis cognitis, adhuc de connexione terminorum & veritate aut falſitate objectorum dubitare & vacillare poteſt intellectus. Hic ergò habitus promptitudinem & facilitatem iudicandi ſupra ſpecies intelligibiles conciliat, quà ipſa intelligendi potentia prõptior & perfectior redditur. *Conf. t.10. Et humana cognit: hic dicitur, quia hominis intellectu hauritur.* ſenſuale cognoſcibile aliò pertinere *t. 2. & Coron. Log. t. 12.* dictum eſt. *Intellectui humano cognoſcibile* objici dicitur, ut *partim* divinus excludatur, qui ad cognoscendum nec ſpecieb. nec objectis, nec habitu eget, ſed ipse ſibi omnia eſt, *Vt t. 12. c. l.* dictum: *partim* angelicus, Cujus cognitionem jam inquirere non intendimus, qui in cognitione humanâ tantùm occupari deſtinavimus, & habitum ſcibile homini repræſentantem tantùm delineare conſtituimus. *Cognitio ipſa perceptio rerum intellectui humano ob intimam ſui perfectionem objectarum erit.* Et res generalisſimè hic ſumenda, ut realia & notionalia, naturalia & ſupernaturalia, comprehendit. Amborum n. cognitio intellectiva humana esſe poteſt.

4. Cognoſcibile conſiderari poteſt *vel* quoad principia ſua, *vel* attributa, *vel* ſpecies & diviſiones.

5. *Principia Cognoſcibilis ſunt fundamenta, quib. cognitio ſcibilis nititur, & per quæ ad diſtinctam cognitionem intellectus humanus deducitur.* Et analogica hic principia: non rigida & univoca. Summum n. & velut transcendens quid cognoſcibile eſt, alia principia ſe priora, & realiter à ſe diverſa non agnoſcens. Ens n. & Cognoſcibile ut res, & res di-

versa non differunt. Latissimum quid est, & quo latius cogitari non potest. Si enim cogitatur, jam cognoscitur & cognoscibile est.

6. Suntq; *interna & externa*. Interna sunt *objecti materiale, quod Entitas est*, cum quicquid cognoscibile est, Ens esse oporteat, cum non entis ut nulla affectio, sic nec cognitio esse possit. Et quò magis quid ens, eò magis cognoscibile est, ut Entia realia; quò minus ens, eò minus scibile; ut entia rationis: *Et formale, quod scibilitas est*. Hæc fundamentaliter in ipsis rebus est: formaliter in intellectu cognoscente est. Hic actu scitur & cognitum fit, quod in reipsa potestate scitur, & cognoscendum se sistit. Hujus principium est *lumen Gratiæ & Naturæ, creationis & gratiosæ revelationis*, undè omnis scibilitas deducenda, & ad quod reducenda est. Ex illo supernaturalia, ex hoc naturalia scienda sunt deducenda. Duo magni hi libri sunt à DEo aperti, qui omnia scibilia continent, & ex quibus omnium rerum scientiæ hauriendæ: *Liber creationis s. naturæ, & liber gratiosæ revelationis seu scripturæ*. DEus author utriusq; libri, & sic fundamentum sciendi ultimum constitutivum, quà in libro gratiæ vel potentiæ loquitur, & scienda revelat: Libri ipsi fundamentum radicativum & contentivum, in quibus radicantur & continentur omnia, quæcunq; ab intellectu humano sciri possunt. *Extra scripturam* in supranaturalibus velle sapere est divina ex incompetentibus principiis deduceree, undè nunquam deduci possunt: & ex se ea nosse velle, quæ intellectui finito ex seipso novisse impossibile est. *Ambrosij* illud *c. Symmachū* hic cogitandum: *Cæli mysteria doceat me DEus ipse, qui condidit, non homo, qui seipsum ignoravit*. Cui magis de DEo, quàm DEo credam? Et quod

quod Apostolus monet, Non sapere ultra id, quod scriptum est, *1.Cor. 4. v. 6.* *Extra naturam* in naturalibus velle sapere, est cogitata ultra cælum projicere, temerarijs speculationibus indulgere, in quibus hiandum tandem, & dubitandum. Quæ in naturâ patefacta sunt, deserere, & immediatè ad DEum decurrere est *librum â DEo apertum præ inscitiâ & socordiâ velle claudere, & pro* Theologo quidem aut pio viro, non autem Philosopho ac perito viro respondere, ut in simili *dec. 2. Misc. d. 8. t. 18.* dictum.

7. Externa sunt, quæ vel primò cognitionem excitant & faciunt, *vel excitatam* porrò promovent & servant. *Quæ excitant*, finis & efficiens sunt. *Finis est causa, ob quam cognoscibile est.* Hic *vel propinquus est*, ipsa rei cognitio, actus intellectus, quo ex se indeterminatus objectivè determinatus redditur, & per determinationem illam velut per habitum aliquem potentiæ perfectibili superjectum naturaliter perficitur: *vel remotus*, DEi ex cognitione orta glorificatio. Quævis enim cognitio ampla laudis divinæ est materia & occasio. *Efficiens est causa, â quâ est cognoscibile.* Hæc *vel movet ad cognoscendum*, ut rerum ipsarum dignitas, varietas, venustas, ignorantia nostra, & ex eâ profecta scientiæ & scientum admiratio, & scientiæ naturalis aptitudo & desiderium. *Rerum venustas invitat, ignorantia instigat, Admiratio concitat, desiderium inflammat ad sciendum.* Naturaliter enim, nisi distortæ naturæ simus, omnes scire desideramus, *1. Met. cap. 1.* Et duos sciendi sensus, visum & auditum, nunquam exsatiari *Ecclesiastes* tradit *c. 1. v. 8.* Quasi sciendi desiderium nunquam impleri posse diceret: *Vel produci ipsam cognitionem*, & ex intelligibili potentiâ facit actu intelligibile.

8. Hoc *vel primarium* est, ut intellectus, cognoscibile apprehendens & considerans: *Et ratio*, causas inquirens & educens: *vel secundarium*: quod velut medium & instrumentum intelligendi esse potest. Hoc *vel remotum* est, ut sensus externi objecta deferentes, & in his inprimis *Visus*, inventionis, & *auditus*, communicationis sensus, quos perficiunt *observatio*, quæ est singularium deprehensio, *Experientia*, quæ est deprehensorum collectio, & *Inductio*, quæ est Vniversalium ex singularibus observatis eductio. Vndè *λόγος καὶ πεῖρα*, *Ratio & observatio* duo cognitionis ocelli dici solent, *V. Coron. t. 22. Vel propinquum*, quod proximè ad cognitionem facit. Hoc *vel* productionis esse potest, per quod producitur, quod *abstractio* est, quæ est *rei cognoscendæ ab omni cognoscendi impedimento intellectualis defecatio*. Quale impedimentum conditio Individualis, accidentalis imperfectio, materialis immersio, status singularitatis, conjunctio rerum distinctè percipiendarum, ubi servit præcisio, & simile esse potest. Sine abstractione distinctè & solidè nihil cognoscetur, eamq; qui tollit, solidam cognitionem tollit, cum Individua omnia apprehendere nequeamus: Ac licet non sit formalis considerandi ratio: est tamen impedimentorum cognoscendi remotio, quæ distinctæ cognitioni obsisterent, eamq; impedirent: *Vel apprehensionis & repræsentationis*, per quod apprehenditur ab intellectu cognoscibile, quod *conceptus* vel expressio rei est, *species rei scibilis ab intellectu formata, in mente rem, quatenus cognoscenda est, repræsentans*. Res ipsas realiter & materialiter in intellectu non sistimus: sed formaliter & per species à rebus sumptas, pro illis suppositas, & illas in animo repræsentantes.

tes. Dici & conceptus formalis, forma, formalitas, idea, noëma, notio, intentio, ſpecies intelligibilis, verbum mentis, ſolet. Cui opponitur *conceptus objectivus*, qui eſt ipſa res intellectui objecta, per ſpeciem formalem in mente repræſentata. *Ille* ens reale et ſingulare, ut qualitas in intellectu hujus & illius concipientis, eſt: *Hic* ad reale & notionale, ſingulare & univerſale indifferens eſt. Interdum reale quid eſt, ut mons, aſinus: interdum notionale, ut Metaphora, ſyllogismus. *Ille* ſemper qualitas mentis eſt: *hic* ex omnibus rerum generibus esſe poteſt, ut ſubſtantia, quantitas, qualitas eſt. *Ille* ſignum hujus, hic ſignatum illius eſt. *Ille* ſemper in intellectu, *hic* ſæpè extra eum eſt. *Ille* ab intellectu agente ut principio eſt, qui ſpecies format; *hic* ſæpè ſine eo eſt, ut omnia entia realia in Naturâ esſe & exiſtere ſuum habentia. *Ille* propter intellectum eſt, ad cujus operationem ordinatur: *Hic* propter aliud quid, quàm intellectum. Ac ut *abſtractione* veritatem asſequimur: ſic *conceptu* posſidemus. Simulacra rerum mens format abſtrahendo: Ad res ipſas ea conformat concipiendo, & ſic verum poſſidet cognoſcendo. Sine ideâ nullâ intellectio: ſine apprehenſione & repræſentatione nulla cognitio. Abſtractio cognoſcendi impedimenta amovet: Conceptus formalem REi rationem intellectui repræſentat.

9. *Principia, quæ cognitionem excitatam porrò promovent & ſervant*, diſciplina *& habitus intellectualis ſunt*. *Diſciplina* promovet & communicat, *habitus* radicat & confirmat cognoſcibile. Diſciplina ob cognoſcibilis propagationem ad alios, habitus ob cognitionis firmam radicationem ſcibilis principium dicitur. *Diſciplina eſt rerum homogenearum*

ſub-

sub unum objectum formale revocatarum, justa, plena, & ordinata tractatio, cognoscibilis propagationi inserviens. Homogenea hic sunt, quæ de eodem communi conceptu participant, & vel ad idem genus vel q:genus revocantur. Fundamentum ejus est *objectum*, quod *est conceptus realis, essentialibus constitutivis & modis contrahentibus affectus, basis omnium in disciplinâ tractatorum.* In eo duplex ratio est, *materialis*, secundùm quam latius quid est, & in multis disciplinis considerari aptum est: *Et formalis*, juxta quam contractius quid, & unicæ disciplinæ adœquatè substernitur. Hæc *vel* objecti esse potest, ut res est, *vel* ut objectum est. Illa entitas, hæc scibilitas est. Illa signatum, hæc signum. Illa naturæ, hæc scientiæ formale notat & constituit. Interdum habet principia, affectiones, & species *univocas rigidasq́*, ut Physicæ, Mathematicæ, objectum: Interdum analogicas & latiores, ut Pneumaticæ & Metaphysicæ. Hic sufficiunt *prædicata Synonymica*, quibus objecti natura quidditativè concipiatur & declaretur: *Attributa Paronymica*, quæ ex quidditate ejus deducantur: & respectus contrahentes modiq́; limitatiores, quibus objectum restringatur, cum principia, affectiones, & species propriè dictæ haberi nequeunt. *Disciplina* objectum recondit & tractat: *objectum* disciplinam constituit & denominat. *Disciplina* rem explicare per præcepta & exempla, & rei explicationem ad usum transferre debet. *Præcepta* velut termini sunt, unamquamq́; rem certis limitibus circumscribentes, ut definitiones, & divisiones, & affectiones rerum exprimantur & declarentur. Debent esse *vera, certa, perspicua, & rebus, quas exhibent*, vel secundùm rem, vel distinctam rationem consideratis conformia, & adæqua-

adæquata. Hujus loci propria sedes est *doctrina de disciplinis, habitibus, & objectis intellectualibus*, cum nec Intelligentiæ, nec Metaphysicæ, aut particulari disciplinæ accuratè attribui possit. Sed cum multa & intricata ad hanc doctrinam pertineant; peculiari tractatione opus habet, nec hic universa deduci possunt. Peculiariter de habitibus intellectualibus scripsit *Andr. Duodus, Alstedius in hexilogiâ, Timplerus in technolog. & exerc. 3. Philosoph.* Multa eò facientia habent *Piccolomineus gra. 5. Ph. mor: D. l. Mart. l. 2. ex. Meta. ex. 9. thes. Mendoza d. 10. de ap. s. 5. & 6. & d. 16. d. anim. & d. 1. Metaph. s. 7. Smiglecius d. 16. & 17. Logica. Suarez d. 44. s. 4. & 11. Meta: Conimbricens. in 1. poster. c. 26. Morisanus d. 12. Logic: Arriaga d. 1. Logic. Raconis d. 1. d. demonstr. s. 3. Rathm. d. 19. Metaph. Eustach. S. Pauli p. 3. Dial. tr. 3. q. 5. Hornejus l. 5. Logic. q. 15. Scheibler. introd. de Philosop. n. 67. seq. & c. 8. n. 38. seq. Fonseca l. 6. Metap. c. 1. Pererius l. 1. de Nat. Verulamius in libris d. augme. scientiar.* Ubi nova methodo scienda & scientias humanas partitur ac persequitur. *Quanquam se non ut militem & oppugnatorem*, sed ut buccinatorem hæc tradere ait, qui non pugnam ineat, aut ad pugnandum alios concitet; sed ut conjunctis viribus naturam rerum ejusq; edita & munita expugnent, ac fines Imperij humani proferant, *l. 4. c. 1. Sluterus l. 1. Syntr. Laurembergius in pansop. Keckermannus in meth. studiorum T. 1. op. p. 490. 491.* aliiq;, qui hic consulendi, & ex quibus plura deducenda, si ex professo materiam deducendi animus fuerit.

10. Habitus intellectualis est qualitas mentis firmè radicata potentiam cognoscentem circa objectorum cognitionem adæquatè, distinctè, & accuratè perficiens. Habitus hic perfectio-

mes sunt, & talia, quæ mentem exactiùs in scibili determinant: non inchoationes, quæ determinare saltem incipiunt, ut dispositiones; aut imperfectiones, quæ vacillanter determinant, Ut opinio, suspicio, fides humana, dubitatio; aut detorsiones, quæ pervertunt, ut Error. *Qualitas* dicitur, quia & instar qualitatis subjectum suum perficit; & ut constans & firma affectio illud denominat. Quà ad subjectum, quod perficit, aut objectum, quod cognoscenti objicit, refertur, ac respectum aliquem transcendentalem ad ea habet, sic relatio appellari potest. Absolutè tamen & primò in naturâ sui qualitas est; Ut contra *Piccolomin. grad. 2. c. 8. & l. d. rer. def. f. 408.* alibi ostenditur. *Et conservat* cognitionem habitus, quà firmè radicatus est: *Et determinat* Intellectum in cognoscendis objectis, cum ex naturâ sui ad ea indeterminatus esset. Accuratè objectum repræsentare debet, ne quid contra veritatem: *Adæquatè*, ne quid contra totalitatem: *Et distinctè*, ne quid contra ordinatam objecti dispositionem committatur, ne ab attributis aut Speciebus inchoetur, in quidditate finiatur, sed contrà procedatur. Ad comparandum eum Natura, Cura, & Exercitatio requiritur. *V. Coron. t. 23.* Quæ in docente, discente, & utroq; requiruntur, alibi proponuntur. Non est Sola species intelligibilis, quæ objectū saltem cum intellectu unit, & unitio ipsa objecti est apprehensio: sed perfectio aliqua, difficultatem judicij de veritate aut falsitate objectorum cognitorum tollens, & facilitatem suppeditans. *Conf. t. 3.*

11. *Attributa scibilis sunt habitudines essentialiter à posteriori ei competentes, ex eo fluentes, illud denominantes, & cum eo sub disjunctione reciprocabiles.* Nec constituunt propriè illud, nec quidditatem Logicè faciunt, nec in species

contra.

contrahunt: ſed à poſteriori velut conſequuntur, & ut conſecutiva quædam apprehenduntur, per conceptum ſimul repræſentantur, in diſciplinâ unà cum ipſo proponuntur, & de cognoſcicili, ut ſic, in genere per disjunctionem verificantur.

12. *Suntq; primaria & ſecundaria. Primaria, quæ primariò de cognoſcibili prædicari posſunt.* Ut *Prædicamentalitas & Extraprædicamentalitas. Prædicamentalitas eſt*, quà ſcibile ob compoſitionem certo rerum generi ſubjacet. Hoc in rebus creatis Logicè compoſitis, entibus per ſe & realibus locum habet, & per 10. prædicamenta Logica ſpargitur. *Extraprædicamentalitas eſt*, quà ſcibile ob perfectionem vel imperfectionem rerum genera reſpuit, ut directè illis contineri non posſit. Eſtq; *vel Eminentia*, quæ in rebus nobilitate ſui rerum genera excedentibus obtinet. Hæc in Spiritu ut ſic, & ut infinitus eſt, attributis, actibus & myſterijs divinis eſt, Vt DEo, Chriſto, Sp. S. Creatione, prædeſtinatione, &c. *Vel Tranſcendentia*, quæ in rebus generalitate ſui genera excedentibus eſt, ut Ente, ejus attributis unitis & disjunctis: *Vel deficientia*, quæ in rebus imperfectione ſui â generibus rerum deficientibus eſt, ut privationibus, Entibus rationis, negationibus. Hæc cognoſcibilia ſunt per oppoſita ſua, quibus contradiſtinguuntur, & â quorum esſentiis multum deficiunt. *Secundaria*, quæ ſecundariò de ſcibili prædicantur. Ut *Vnivocatio & Analogia*, unde ſcibile vel univocum vel analogum appellatur. *Æquivocatio* locum non habet, ſed ſtudiosè â ſcibili detergenda eſt. Per accidens in conceptibus invenitur, *vel* ob intelligendi inadæquatam diſtinctionem, *vel* vocum defectum, quo unâ voce diverſas res appellare cogimur. Ita non unum certumq;

cumq; quid intellectui sistit æquivocum: sed distrahit.

13. *Vnivocatio est, quâ scibile multis tribus potest æqualiter, æqualitate attributionis*, ut non uni per prius aut originationem, vel infinitam eminentiæ perfectionem, alteri per posterius & deriuationem vel habitudinem ad prius, vel posteriorem saltem participationem ac dependentiam à priore tribuatur, & si unum altero nobilius & dignius esse posit. Sic animal de omnibus inferioribus, homine & bruto, æqualiter prædicatur quà attributionem ejusq; ordinem: Etsi homo dignior animalis species, quàm brutum sit per differentiæ nobilitatem. Sed ens de substantiâ & accidente inæqualiter prædicatur in ipsâ attribuendi entis ratione. Entitas n. per prius & originaliter est in substantia: dependenter & per habitudinem ad eam in accidente. Involuitur n. semper, quòd sit ens in substantiâ. Similiter & de DEo & creaturis, ente reali & rationis dicitur, quamvis in hoc vera æquivocatio sit. *Analogia est, quà scibile inferioribus inæqualiter inæqualitate ipsius attributionis* secundùm prius & posterius, originationem & dependentiam, eminentiam & participationem, tribuitur. *Hæc vel proportionis* dici solet, quæ est ipsa æquivocatio, ut ridere hominum & pratorum: *Vel attributionis*, quæ per ordinem attribuendi diversum procedit. *Hæc vel externa* est, cum uni internè, alteri externè conceptus tribuitur, ut sanitas animali, urinæ, & medicamento: *vel internæ*, cum utriq; internè. *Hæc vel cum dependentiâ* unius ab alio est, ut ens de substantiâ & accidente, amicitia de honestâ, utili, & jucundâ: *Vel sine illâ*, ut generatio de divinâ ac humanâ, ubi nulla habitudo hujus ad illam est, nec ab illâ propriè hæc dependet. *In analogis mysticis* analogia *vel* per attributionem perfectionis emi-

eminentem in principali analogato explicanda: Sic entitas in DEo longè eminentior, ac creatis: *vel* omnis imperfectionis in eodem remotionem: sic generatio divina sine mutatione essendi, mora, tempore, essentiæ multiplicatione est. In communi conceptu *sola ratio formalis præcisis omnibus specialibus conditionibus ad hoc vel illud membrum pertinentibus repræsentanda est*. Sic generatio in commu̅ni sumpta viventis à vivo per essendi communicationem origo erit. Plura, & specialiora de analogiâ doctissimè evolvit *Dn. Wegerus l. 1. Log. c. 4.* Quædam & *Bellovis. tr. 2. term. c. 281. Suaretz d. 28. Metaph. s. 3. n. 5. seq. & d. 32. s. 2. n. 12. seq aliiq.* habent, qui hic consuli possunt.

14. *Species & divisiones scibilis sunt, quâ omne scibile humanum, quod ab homine* ullo modo sciri potest, *vel supernaturale est, quod supernaturali revelationis principio nititur*, indeq; deducendum & ad illud revocandum est. Tale scibile est *Theologicum*, & quod mysteria fidei complectitur, quæ ex solâ naturâ nec inveniri, hauriri, inquiri, nec sufficienter percipi possunt: sed majore, ac Natura est, principio ad cognoscenda ea opus est. *Hoc in Theologiæ habitu*, qui ob id habitus θεόσδοτος & divinitùs datus est, quod principium ejus specialis & supernaturalis divina revelatio sit, & si aliâs operâ ac studio nostro ordinariè acquiratur, adæquate, distinctè, & accuratè ex proprio & adæquato suo principio, lumine gratiæ & spirituali revelatione, hodiè scripturâ comprehensâ & aliunde non expectandâ, repræsentandu̅, In disciplinâ ac systemate Theologico exhibendum, & aliis communicandum. Quâ ratione methodicè illud exhiberi & plenè exhauriri queat, in Theologico systemate specialiter est pertractandum. *An habitus* speculativus, an acti-

 vus, an

vus; an uterq́; & ex utroq; conflatus sit, alibi disceptandum, *vel Naturale, quod naturali revelationis principio, lumine Naturæ & Creationis nititur*, indeq́; deducendum ac ad illud revocandum est. *Hoc vel liberale est, vel illiberale. Liberale*, quod animi & liberalis cognitionis ac felicitatis naturalis gratiâ oculis mentis cognoscitur, ut contemplando vel agendo animus humanus civiliter perficiatur. Hoc *vel reale & per se, vel instrumentale & per aliud est.*

15. *Scibile reale & per se* est quod merito suiipsius & proprium ob finem, non alienum, ab intellectu cognoscitur. *Hoc vel primarium & independens*, quod â Nullo alio scibili Naturali pendet, undè principia aut objecta mutuetur, sed aliis illa ipsa elargitur. Tale *scibile Philosophicum* est, quod Philosophiæ objectum est, inq; eâ distinctè & adæquatè repræsentari liberalis cognitionis gratiâ ad naturalem animi felicitatem debet. Hoc quid specialiter sit, *Coron. Log. t. 12.* deductum fuit. *Estq́ contemplabile vel agibile. Contemplabile est scibile, intellectui sub objecti scibilis tantùm ratione & solius scientiæ, ut adæquati ex naturâ sui finis gratiâ objectum.* In hoc enim ex Naturâ ipsius objecti alius finis proximus & adæquatus esse non potest, nisi scire. Si ultrà quis progrediatur, non ex fine objecti ipsius scibilis agit, sed ex accidentario & suo. *V. c. l. t. 15. seq. Materiale* ejus est ens reale, Naturale, necessarium. *Formale*, ob solam theoriam & contemplationem, ut adæquatum finem, ex Naturâ sui objici. *Principia* sunt intellectus theoreticus & contemplatio, quà mens necessaria Entia eorumq; attributa speculando, seipsam ad intra perficere potest. *Media* sunt abstractio rei ab principiis, attributis, & speciebus : *& conceptus* â rebus abstractus, qui in intelligendo sistat, non ad opera-

operationem ab eo diversam respiciat. Repræsentantia ejus habitus & disciplinæ Philosophicæ theoreticæ sunt. Determinatio illarum *generalis* est in præcognitis Philosophicis, *v. Coron. t. 21. Specialis* ratione inferiorum disciplinarum & objectorum Metaphysicæ, quæ omnibus disciplinis inferioribus objecta assignare debet. Consequens ejus est utilitas, quæ χρῆσις sit. Omn. enim cognitio debet esse utilis ad perficiendum intellectum: non ea, quæ πρᾶξις & operatio ab ipso intellectu distincta sit. Hæc tantùm in practicis & poeticis illiberalibus est. *Conf. Coron. t. 18.*

16. Scibile Philosophicum Contemplabile *aut rerum summam affinitatem* speculatur, undè Intelligentia oritur, *aut rerum diversitatem & quidditatem*, unde Sapientia. *Intelligentia est habitus theoreticus simplex, prima rerum principia in affinitate earum fundata simplici assensu sine discursu contemplans.* Dicitur & Noologia. Simplex habitus est, quia simplici assensu *subscribit* principiis, non per aliud prius ea probat: ipsa enim summa primaq; sunt, quæ priora, ex quibus probentur, non habent, nec deducit alia velut conclusiones ex istis principiis, ut sapientia facit: sed in ipsis principiis contemplandis sistit. Talia principia *vel Theoretica* sunt, ut Quidlibet est, aut non est, Imposs. est simul esse & non esse, Totum est majus suâ parte, Deus est, Bis bina sunt 4. *Vel Practica*, ut Bonum faciendum, Malum fugiendum, Nemo lædēdus, Cuivis suum tribuendum, Honestè vivendum, &c. Vbi dicitur *synteresis*. *Quidam* in totum habitum hunc negant. *Alij* synteresin specie ab eo diversam faciunt, *V. Coron. t. 21. Sapientia est habitus theoreticus ortus principia prima rerū simul & conclusiones inde deductas cum discursu contemplans. Ortus habitus est*, non in sapientiæ ratione, sic

ne, sic enim scientia sapientia orta est: sed habitus, quia ad assentiendum Conclusionibus per principia inclinat. *Compositus est*, quia principia simul & Conclusiones involvit.

17. Et quia de rebus diversis diversas conclusiones perpendit, illarum ratione variare necessum habet. Principia sunt unica: sed res & Conclusiones de rebus deductæ sunt diversissimæ. Inde ad objecta certa revocata varia fit, *& alia prima, alia secunda* dicitur. *Prima est, quæ è primis summisq́ principiis Conclusiones elicit, ad easq́ universa revocat.* Hæc de ente omni in generalissimo agit, illud in universalissimis principiis speculatur, & conclusiones ex illis deducit. *Novit omnia*, non sigillatim, sed universìm: *Difficillima* est, quia generalissima & ab inferioribus abstractissima: *Accuratissima*, quia ad prima principia, quæ verissima, omnia revocat: *summè didactica*, quia rerum connexiones è primis seminibus deducit: *Summè appetibilis*, quia omnia in generalissimis principiis scire facit: *Certissima & evidentissima*, quia ex primis principiis, quæ à nullo negari possunt, demonstrat. Indè scientiarum aquila, sapientia absolutè, scientia cum capite, &c. dicitur. Et talis sola *Metaphysica* est quæ & Intelligentia dicitur cum virtute applicandi prima principia: Et inferiores disciplinas omnes dirigit, omnium objecta cognita habet, leges ex receptissimis notionibus erutas illis præscribit, & approbationes ac principia earum ad prima principia revocat. Intelligentiam non dirigit: sed ad suas assertiones & conclusiones confirmandas applicat.

18. *Secunda est, quæ ex secundis ortisq́ principiis Conclusiones suas deducit.* Hæc *scientia* dicitur, & de ente necessario de-

rio determinatæ quidditatis tractat, ac particulares conclusiones, limites objecti sui non transcendentes, habet. Principia habet, unde sua deducat: sed secunda, & quæ respectu primorum conclusiones dici queant. Undè scientia solarum conclusionum esse dicitur. Nec solius demonstrationis rigidæ effectum hic scientia notat: *sed omnem habitum theoreticum conclusionum de objecto speciali & determinato formaiarum.* Sive omnes probationes sint apodicticæ: sive quædam analogicæ sint; modò omnes necessariæ & ex necessarijs principiis deductæ sint. *V. t. 9.* Hæc scientia *vel substantiam* speculatur, eamq́; *vel* spiritualem, ut *Pneumatica*: *vel* corpoream, ut *Physica*. *Vel accidens*, ut quantitatem. Hanc *vel* abstractè & â corpore præcisam, eamq́; vel continuam, ut *Geometria*, vel discretam, vt *Arithmetica*: *Vel* in corpore concretam, ut *Cosmographia*, *Astronomia*, *Astrologia*, *Geographia*, *Geodæsia*, *Architectonica*: *Vel cum qualitate* sensibili concretam: Et *vel* cum sono, sic numerum in sono *Musica*, *vel* luce & colore, sic longitudinem in visu *Optica*, *vel* tangore, sic ponderositatem, gravitatem, aut levitatem *Statica* contemplatur.

19. Scibile agibile est scibile intellectui sub actus moralis ut objecti ratione, & actionis moralis, ut adæquati ex naturâ ipsius objecti fluentis finis gratiâ, in quo acquiescendum, objectum. *Ejus* habitus dicitur *Prudentia*, *habitus cum rectâ ratione activus eorum, quæ bona aut mala moraliter homini sunt. Materiale* ejus est ens reale, naturale, contingens. *Formale* est: naturâ sui agi posse & velle, ac ob operationem moralem ab ipsâ cognitione distinctam ut adæquatum finem ex naturâ sui objici. *Principia* sunt Intellectus practicus & praxis, nimirum functio intellectus circa operabile occupata, ad operandum moraliter extensa, non in ipso in-

tellectu terminata, sed à facultate menti subordinatâ, ut voluntate aut appetitu sensitivo directo & rectificato, exequẽda. *Gnosis & cognitio* hic requiritur: non theoria & speculatio. *V. Coren t. 17.* *Media* cognoscendi sunt abstractio *á* singulari conditione, & conceptus rerum agibilium, qui non in intelligendo sistat, sed agere moraliter requirat. Ex naturâ n. sui πρακ]ὰ agi volunt, non sciri: & si ex accidente & intentione discentium sciri saltem possint. Agere naturaliter in Medicinâ, artificialiter rigidè in mechanicis artibus, analogicè in instrumentarijs habitibus requiritur. Objectũ Philosophiæ Practicæ est actus & agendum, & secundùm determinationes suas speciales partes sortitur. *Agibile vel in communi* & abstrahendo ab omni vitæ statu spectatur, sic in *Ethicis; vel in speciali* & ad certum statum determinando: Hoc *vel in Oeconomico,* sic in Oeconomicis; *vel Politico,* sic in Politicis, *vel Scholastico,* sic Scholasticis spectatur, ibiq; pro objecto explicatur. *Historica* quatenùs hic locum habeat, ut exemplaris rerum mundi ordinata repræsentatio, *Coron. t. 21.* dictum.

20. *Scibile reale secundarium & dependens est, quod à Philosophico pendet; indèq. objecta & principia conclusionum mutuatur* Tale Juridicum & Medicum est. *Vtrumq. practicum est,* sed illud magis specialiter practicum & morale: hoc magis poëticum & naturale. *Juridicum* est scibile practicum ad justitiam in Republicâ prudenter & specialiter dirigendam, servandam, & administrandam ordinatum. Hoc objectum Jurisprudentiæ est, quæ adæquatè & distinctè in illo evolvendo occupata est. Præsupponit principia Ethicæ & Politicæ, ut si hæc non essent, conclusiones Juridicæ esse non possent. *Medicum* est scibile practicum, (generali-

neraliter praxin capiendo, non pro morali praxi, sed omni liberali, theoriæ contradistinctæ, & ab intellectu ad agendum regulatæ,) ad sanitatem hominis naturali modo per certa media promovendam specialiter ordinatum. Hoc Medicinæ objectum est, inq; eâ distinctè & adæquatè per Universa media, per quæ finis Medicinæ acquiri potest, deducendum. Præsupponit principia Physicæ, & interdum Mathematicæ, ut sine his conclusiones Medicæ esse non possint. Specialiter hos habitus apud Authores, qui de illis scripserunt, deductos vide. *Iurisprudentiam* qui distinctè in modum habitus repræsentârint, pauci sunt. *Althusius* in Dicæologia, *Vultejus* in Jurisp. Rom. *Tholosanus* in syntagmate, *Hopperus* in Isagoge, *Schefferus* in arte Iuris, *Alstedius* in Encyclopæd. majore, *Keckermannus* in Methodo juris, alijq; aliquid præstiterunt. *Medicinam* plures delineârunt. Ut *Fuchsius*, *Heurnius*, *Liddelius*, *Fernelius*, *Sennertus*, *Horstius*, *Fallopius*, *Saltus*, *Aegineta*, *Simoneta*, *alijq*.

21. *Scibile Instrumentale & per aliud est, quod non merito sui ipsius, sed ob alium â sui cognitione finem & utilitatem aliquam ab intellectu cognoscitur.* Hoc objectum habituum Instrumentalium est, in illisq; distinctè & adæquatè repræsentandum. Ens rationis & notio aliqua secunda est, non reale & notio prima, nec realis objecti alicujus cognitione animum perficit. *Notio secunda est notio* conceptum non immediatè â re intellecta, sed â modo intelligendi sumptum notans, & immediatè in conceptu rei fundatur, non re ipsâ. *Abstractio* in hoc scibili est non â materiâ, quæ hic determinatè nulla: sed *rebus omnibus*, quibus ex modo intelligendi Intellectus notiones secundas imposuit, vel ut sub actu intellectus in seipsum reflexo interdum illæ stant,

ex quâ reflexione ratione quâdã ad operationẽ mentis tantùm perdurantem ex habitudine & relatione rerum oriundam reperit, quâ rem denominet. Facilitat tantùm rerum cognitionem; non ipsam rei notitiam immediatè dat, eoquè nec propter se cognoscibilis est. *Scibile instrumentale vel propter omnes* disciplinas formatur, Et hoc *vel ut* veritatem rerum faciliùs ac distinctiùs percipiamus, quod notio secunda *Logica* facit, Logicæ objectum, & in eâ distinctè & adæquatè pro fine suo proponendum: *Vel ut* perceptas res commodiùs reservemus, & cum usus est, depromamus, quod notio *Mnemonica* facit, Mnem. objectum, & in ea distinctè pro fine suo repræsentandum: *Vel propter quasdam*, ut bonum nempè faciliùs inducamus, aut verum aptiùs persuadeamus, & inprimis virtutum usum commodiùs instillemus. *Hoc notio Rhetorica* facit, ad ornatè dicendum composita, in Rethoricâ explicanda; *Et Poëtica*, ad ligatè dicendum composita, in Poëtica adæquatè explicanda. *Lexicalia & Philologica* his omnibus substerni, vel ad Grammaticam, Oratoriam, Poëticam, similiaq; referri possunt: Et hi habitus instrumentales non Philosophiæ partes, sed instrumenta sunt, æquè ac Theologiæ, Jurispr. & Medicinæ: & materiæ eorum ab his, ut instrumenta, prærequiruntur, non in illis quæri aut proponi debent. *V. Coron. th. 16.* Philosophia rerum naturæ scientia esse debet: non notionum instrumentalium in rebus adhibendarum.

22. Sic cognoscibile *Naturale liberale* fuit: *Illiberale est, quod illiberalis cognitionis gratiâ intellectui objicitur, ut organis corporis ad vitæ emolumentum aut ornamentum verè & externè efficiatur.* Hoc artium verarum & strictè dictarum objectum est, quæ sunt *habitus mentis cum rectâ ratione operum re-*

rum re-

rum realium & externorum per organa corporis realiter effecti-vi. Effectio specialiter hic est operatio intellectus ad aliquod reale & in sensus externos incurrens à facultate subordinatâ per organa corporis exequendum directa. Per hoc ad solas artes manuarias restringitur. Nec artis vocabulum *latissimè* hic sumendum, ut omnem habitum disciplinarem notet, ut *Alstedius Timplerus, & Ramistæ* interdum sumunt: *Nec latè*, ut & artes scibile liberale tractantes comprehendat, quales Medicina & habitus instrumentales sunt, & in Mathematis Mechanicæ quædã illis subordinatæ videntur, & â quibusdam plastica, sculptoria, pictoria, cælatoria, Chirurgica, typographica, inter eas numerantur. *V. Laurenberg. præf. pans. §. 1. Reyerum d. 17. Phil. t. 211.* Ubi ex fine interdum de illis judicandum, ut post patebit: sed solas illiberales, quæ & vera opera producunt, & verâ effectione producunt; & ad talem effectionem naturâ sui & intentione habitus ordinantur. *Conf. d. 1. Gy. Log. t. 16.* Ubi effectio ipsa non intenditur, sed mera scientia: ita circa effectivum & artificiale versari potest etiam scientificus, sed tantùm cognoscendo, aut operationem dirigendo: non autem ipso operando, efficiendo, vel effectionem in se intendendo. Sic Architectus ingeniarius utentibus præest, eósquè dirigit: operâ manuum solus utitur Manuarius & ædificator, hic verè artifex est: Prior ei analogus, ab eo tamen verè distinctus, non cum eo confusus est. Sic principes quidam aurificinam, tornatoriam, aliaq; artificia calluerunt non nisi rarissimè exercuerunt, nec exercere intenderunt.

23. *Objectum artis*, Circa quod ipsa versatur, *realis aliqua & sensibilis materia est*, circa quam formam aut perfe-

ctionem inducendo versari ipsa potest. Hæc operationibus artis & artificis ut fundamentum substernitur, & sine quâ artis operatio esse non potest. Opus enim artis non ex nihilo, nec in nihilo fieri potest, cum nec Natura, arte superior, in nihilo operari queat. Vulgò omne effectivum s. ποιητικὸν hoc objectum dicitur. Et constat *vel materiali s. re consideratâ, & formali s.* considerandi modo. *Res considerata* s. materia ipsa, circa quam ars occupatur, multis artibus communis esse potest. Sic circa ferrum occupantur ars ferraria, seraria vel claustraria, falcaria, scutaria, poliaria, loricaria, cultraria: Circa lignum lignaria, arcularia, carpentaria, tornatoria, doliaria s. vietoria, statuaria, scandularia, cribraria, carbonaria. *Formale & modus considerandi* sub certâ ratione & ad certum finem uni arti est proprius, ei reciprocus, & cum arte ipsâ convertibilis. Sic seraria ferrum, ut seræ indè conficiantur, Cultraria, ut cultri, Loricaria, ut Loricæ, tractat. Carpentaria lignum, ut carpentum, currus, aut simile quid, tornatoria, ut vasa tornata, doliaria, ut dolia, circuli, & simile quid, statuaria, ut statuæ conficiantur, tractant. *Objectum artis* sit ens reale, non fictitium aut ens rationis tantùm. Unum formaliter, & si materialiter multum esse queat: Sic ædificatoria lapides, ligna, ferramenta, cæmenta, continet, sed ut in formam ædificij concurrunt: In nostrâ potestate positum, quod effici, & alio ac alio modo effici, disponi, & in certam formam redigi possit: Arti ipsi æquale, nec latius eâ, nec angustius: artifici cognitum, & primò in arte secundùm finem ejus, quem intendit, cognoscendum. Sic ferraria ferrum cognoscit, ut cudi & duci debet. Quomodo in terrâ generetur, ex eâ effodiatur, non curat, ut extra suum finem positum.

24. *Principium artis* est intellectus poëticus s. artificiosus, per organa corporis & facultatem locomotivam operationem exequi volens. *Idea dirigens* exemplar in mente artificis abstractum & impressum est, secundùm quod operatio expediri debet. *Medium* est abstractio à materiâ singulari, non universali. Aliquam enim materiam relinqui oportet, circa quam artifex operando versetur: Et abstractio *secundùm rationem*, quâ figuræ in mente artificis citra materiam existunt ideæ operationis, non secundùm rem: In operando enim quivis artifex sensilem poscit materiam. *Exequens principalis* est facultas locomotiva imperio intellectus & voluntatis subdita, ad præscriptum eorum efficiens. *Instrumentalis* manuaria instrumenta cuilibet effectui accommodata sunt. Multa horum artibus quibusdam propria *Reyerus* enumerat *d. 17. Philos. t. 236. seq.* *Finis* est veri operis realis & externi effectio. De agibili autem illiberali hoc intelligendum. *Medicina* opus huc non pertinet. Liberalis enim ea ars est, ac proinde opus ejus externũ esse necessum non est. Ut correctio intemperiei in liene. *Finis artis ens reale* & positivum sit; ex naturâ & scopo artis æstimetur, non animo discentis, aut accidentarijs conditionibus: ex eo de omnibus in arte traditis judicetur, omniaq; ad eum in arte referantur: Et quid sit, ac quòd possibilis sit, in arte cognoscatur: Per veram & propriè dictam effectionem inducatur, & essentialiter ad operationem referatur, non in solâ agnitione sistatur. Principalis sit, & ex naturâ artis ipsius in eo, ut ultimo artis fine quiescatur: non instrumentalis, & ex naturâ artis ad aliud quid accommodandus. Sic Ædificatoriæ finis ædificium est. An habitatio accedat, ædificatoria non curat. *V. t. 25.* In instru-

instrumentalibus habitibus, ut Logica, Gramm. quia nulla vera effectio artis est, nec finis principalis ipsorum habituum ex se est, *t. 21.* malè artes instrumentales dicuntur.

25. *In illiberalibus artibus, an quædam* instrumentales dici possint, ut froenifactoria, restiaria, ephippiaria, quædam principales, ut Equestris, nautica, fabrilis, dubitatur. Quidam ajunt, ut *Calov. in Meth. Log. p. 171. Reinbothus d. 12. Eth. t. 17. Et ex Aristot. 2. Phys. t. 24. & 1. Eth. c. 1.* deducit, Ubi quasdam artes præcisè sui gratiâ experi, quasdam aliis subordinari ait, ut froenifactoriam equestri. *Alij* negant, & cujusvis artis ex naturâ ipsius artis proprium & suum finem esse ajunt, non essentialiter ad alium subordinatum. *Ut Lauremberg. p. 31. seq. Pansoph.* Et hoc rectiùs. Hoc enim effectio & operatio realis, cuivis arti & artificialiter effectibili pro proximo & interno fine objecta, requirit. Quòd opera earum ultrà post adsumantur, & ad usûs aliarum artium accommodentur, *ex usu & applicatione hominum artibus utentium est*, non naturis artium & disciplinarum illiberalium. Sic froenifactoria froenum & froenifactionem, ut essentialem finem respicit, ephippiaria ephippium, restiaria restim: & in his ut ultimis suis finibus quiescit. Quòd equestris, nautica, opera illa ad suas artes assumant, accidentale prioribus est. Froenifactoria essentialiter froenum parare intendit, etiamsi nulla equestris ars esset, quæ eo ad suum in arte suâ usum uteretur. *An & Magicæ s. Diabolicæ artes* artibus annumerandæ, hic quæri solet? De hoc *Conimb. qu. 1. proem: Log. a. 3.* vide. Finis artis in multis illarum non obtinet, qui semper bonus, & boni. *V. d. 13. t. 16. G. L.* Cum in

his

his semper malus & mali. Quanquam variæ sunt hæ artes. *Quædam* præstigiatoriæ, in his nulla vera effectio, sed illusio tantùm: Quædam effectoriæ; In his si finis arti conveniens esse queat, artium nomine comprehendi queant. Si minùs, nec artes, sed ludibria vel vanitates dici merentur. Ita *Curt. l. 7. c. 4.* de Magiâ: *Si modò ars est ea, & non vanissimi cujusq; ludibrium.*

26. *Divisio cognoscibilis illiberalis* qualiter instituenda, ut totalis & adæquata sit, ambiguum est. Quia cognitio ejus nō ad animi felicitatem, sed corporis emolumentum facit, in liberali cognitione nō multū curatur: sed obiter & secundariò tantūcognoscitur, adeoq; nec de divisione illius magnoperè laboratur. *Dividi* potest *in illud, quod ad vitæ necessitatem, & quod ad commoditatem & voluptatem facit. Ad necessitatem,* quod *vel immediatè* ad amictum aut victum pertinet, ut cognoscibile textorium, sartorium, pellionium, cerdonium, sutorium, Molitorium, pistorium, lanionium, cerevisiarium, coquinarium: *Vel mediatè,* quod mediatè ad victum aut amictum inservit, ut fabrile, lignarium, metallurgicum, lapicidarium, lateritium, figulinum, vitriarium, restionium. *Ad jucunditatem* & ornamentum, quod ad vitam jucundiùs & commodiùs agendam pertinet. Ut balneatorium, tonsorium, gladiatorium, equestre, & simile.

27. Ita *cognoscibile humanum* universum exhaustum est. *Cognitio humana totuplex,* quotuplex objectum ejus, Cognoscibile humanum, est. Eoq; *in tot species* variari debet, quot de cognoscibili hactenùs traditæ: Et ex traditis facili negotio patet. Jam cum in eâ Theologica cognitio & Philosophica inprimis excellat, & de *Philosophicâ* quæ-

 dam

dam nobis tractanda restent, quæ universa dare nimia *disput. d. naturâ Philosophiæ* Coronidis loco *Gymn. Logico* adnexæ prolixitas non tulit, jam thesibus de cognitione humanâ universâ ea subjungere non iniquum videri debet.

28. Ad *th. 34. citatæ disp. sequentia* adjici possunt. *Quòd Philosophi* hostes Christianismi fuerunt, ipsi Philosophiæ imputari non debet. Hæc semper favit Christianismo, ait *B. Rhenatus in argum. libr. Tert. c. Valentinianos.* Non abjicitur à Theologiâ, sed in obsequium ab eadem sumitur, ait *Gerson l. 1. consol. Theol. Pros.* 1. Theologia Verbum DEI tractat: linguas & artes non mutat, corrumpit, aut abolet: sed ministerio earum utitur, ubi oportunum & commodum est, ait *D. Menizerus in just. defens. p. 6. p. 313. §. 155.* *Tertullianus* ipse in simili argumento inter causam & culpam, statum & excessum multum differre ait, *l. 1. d. coron.* Ita hostilitas non ad statum Philosophiæ, sed subjecti interdùm habentis eam pertinet. Quòd Stoici, Epicurei, Corinthij, mysteria fidei riserunt, non magis Philosophiæ imputandum, ac sutoriæ vel sartoriæ habitui, si sartores sutoresq; id fecissent. Nec magis concludit, quàm si Theologiam impiam, profanam, & ineptam voces, quia multi Theologi tales sunt. *Papistæ* imputatam justitiam rident, non quà Philosophi, cum Philosophia exse de eâ nihil sciat aut habeat: sed quà Papistæ, h. e. Philosophiâ ad suum sensum abutentes, & Lutheranorum hostes ἄσπονδοι sunt. Fortassè *non tàm dogma, quàm quòd nostrum sit*, abominantur. Novit Philosophia, esse DEum, esse justum, veracem, colendum. Sic ad quærendum DEum incitat, si quis eâ rectè uti velit. *Act. 17. v. 27. Rom. 1. v. 10. seq.* Sic doctrina de vero, bono, perfecto, ad amorem summi boni,

veri, perfecti incitat... *V. Picum Mirandulan. l. d. ente, c. 10.*

29. Ad *th. 35. hæc* ulteriùs continuari possunt. *Si tale est objectum*, quale esse dicitur, verum est enuntiatum propter objectum. Nulla bonitas aut malitia hominis veritatem illam immutabit, cùm à bonitate ejus veritas non dependeat: quanquam justitiam & probitatem hominis mutare possit. Et qualiscunq; sit veritas, s. naturalis, s. spiritualis, s. ut quidam vocant, carnalis: dùm rei suæ consentiat, veritas est, & conditione subjecti enuntiantis eam non mutatur aut falsitas fit. Sic Diabolus Deum esse dicens verum dicit, &si Diabolus. Caiphas prophetizans vera dicebat, *Joh. 18.* &si impius. 13. *Scriptura dicit*, gentiles veritatem DEi in mendacium commutavisse, *Rom. 1. ℣. 25.* Et impios &si verè jurent, non tamen verè, sed mendaciter jurare, *Jerem. 5. ℣. 2.* ac DEum esse dicentes factis negare, omniaq; impiis polluta esse. *Tit. 1. ℣. 15. 16.* E. & ipsorum veritates falsitates dici possunt. R. Commutârunt in mendaciũ, sed cultu & idololatriâ, quòd statim additur: Non enim ut DEum glorificârunt, sed in vanitatem & mendacia cultum suum direxerunt, ℣. *21. 22. 23. 28.* Non quòd esse veritatis in falsitatem immutare potuerint, quasi, quod in se verũ, in impijs in falsum degenerârit. Sic & in vanum vel mendacium jurant, Ethicè, non Metaphysicè, quia &si verè jurent, non tamen, quæ jurant, præstant. Similiter & DEum factis negant, quia quem agnoscunt, non legitimè ut DEum colunt, & cum omnia illis polluta sint, nullus verus DEi cultus inesse potest. Non quòd veritates Enuntiatorum impietate suâ in falsitates immutare possint.

 14. *Phi-*

30. 14. *Philosophia*, ut hodiè docetur, omne ex elementis compositum naturâ suâ mortale esse docet, relationem ex se non esse ullius efficaciæ, futuri contingentis ratione nostri non esse determinatam veritatem, & DEum certâ ratione causam per accidens peccati dici posse tradit. Quibus omnibus contraria docet Theologia. Nam Adamum in integritate naturâ immortalem fuisse, fidem ut relationem in Christum justificare, salutem nostram ut futurum contingens nobis certissimam esse docet, & DEum peccati causam nullâ ratione dicere concedit. *R. Physica* ex elementis compositum naturâ sui sc. solitariè in seipsa spectatum, mortale dicit. Sed *Theol.* non Adamum ita naturâ immortalem fuisse dicit, ut tantùm, quà ex elementis compositus, talis fuerit: sed & in imagine DEi concreatâ spectatum, quæ, quia ad naturam integram pertinuit, concreata fuit, & naturâli generatione propagari debuit, hactenùs naturâ totâ in istâ perfectione spectatâ immortalem statuit, *V. Sap.* 2. *v.* 23. quod nihil contrarium Philosophiæ infert. Sic *Phil.* relationem ex se, perse, & sui natura non agere ait. *Theol.* fidem non ex relatione, sed *in illâ* justificare dicit, quatenus in ea Christum ejusq; meritum respicit. Nec fides nuda relatio, sed & apprehensio est, quæ actus quidam, qui vi objecti sui, in quod fertur, efficax esse potest, nec contrarietatem Phil. infert. Sic receptio annuli, cui hæmatites inclusus, sanguinem sistit ob illum. *Phil* futuri contingentis ex se & natura sui spectati, non esse determinatam veritatem dicit. Theologia *non ex naturâ sui, sed positione causarum certitudinem facientium*, ut DEi promittentis veracitate, universali benignitate, perseverantiæ concessione, hominis in fide permansione, &c.

de salute

de salute certi quid constare posse dicit. Hæc non sunt contraria. *Phil.* DEum peccati causam per accidens dicit; sed moralem & occasionalem, quà legem tulit, unde per accidens peccatum ortum, *Rom. 7. ℣. 5. 8. 9.* Et quà conservat naturam, motum largitur, influit, concurrit, permittit, cum vi impedire posset. *Theologia* negat ullâ ratione sic dicendum, nempe ut culpa aliquá in DEum derivetur, inordinatio, occulta volitio, motio, & impulsus ei tribuatur, ac ut causa per accid. altera species causæ efficientis est, quà in per se & per accid: dividitur, ut quidam Logicorum dividunt. Sic enim efficiens causa per accidens Physica homo ejusq; voluntas est, moralis Diabolus. Hæc etiam non sunt opposita. *15. Sapientia carnis est inimicitia contra DEum. Rom. 8. ℣. 7.* Sed Philosophia est sapientia carnis, non n. spiritus est, nec inter opera spiritus numerari potest. Inter sapientiam a. carnis & spiritus nihil medij est. Caro n. & spiritus immediatè in sacris opponuntur. *R. Minor* falsa. Philosophia propriè nec sapientia carnis, i. e. hominis irregeniti, ut talis, est: nec spiritus, h. e. renati, in quantum talis, est: *Sed Naturæ:* ac tria operum principia esse possunt, spiritus, Caro, & natura. Sic edere, bibere, moveri, ambulare, loqui, cantare, nec spiritus, nec carnis sunt opera, sed naturæ, naturam pro principio agnoscentia, & in sese indifferentia, morali aut spirituali modo nec bona, nec mala. *Inter opera spiritualia ac Theologica,* quæ in spirituali foro conscientiæ spectantur, nullum medium inter Opus carnis & spiritus est, sed quicquid Theologicum opus est, vel carnis vel spiritus est: Sed benè inter opera in universum, quà naturalia & spiritualia simùl exhauriuntur. Sic quædam opera naturæ

ſunt, quæ nec præciſè carni, nec ſpiritui tribuenda. Sic naturæ intellectivæ opera ſunt omnes artes Civiles, liberales & illiberales, principales & inſtrumentales: fruſtra has carni vel ſpiritui tribuere laborabimus. Caro ſpiritui oppoſita in ſacris *corruptionem & malitiam* notat, & quicquid inde eſt, malum & abominabile, ac in irregenito tantùm eſt. *Ioh.3.ṽ.6. Rom. 8. ṽ. 4.5. ſeq: Gal. 5. ṽ. 16. ſeq:* Sed Philoſophia etiam in regenito eſſe poteſt. Sic Adamo integro, Patriarchis, Moſe, Salomone, &c. Cætera in diſcurſu. Plura ap. *D. Grauuer. d. vn. ver. Keckerm. pec. quæſt. D. I. Mart. C: 1. d. 1. q. 1. & l. 2. ſpec. Ration. D. Meiſnerum qu. proëm. Ph. Ioh. Scheibler. d. Philoſ. n. 137. Keslerum quadr. diſcurſ. Vedelium l. 3. Rat. Theol. c. 2. ſeq.* aliosq; vide.

31. Ita *primum* pronunciatum confirmatum ſit: Dico II. *Philoſophia ex conditione lapſus & hominum, in quibus eſt, ſpectata & contrariari poteſt Theologiæ, & de facto ſæpè contrariatur. V. Ephes. 4. ṽ. 17. 18.* Et huc pertinent dicta *t. 34. Coron. Log.* citata. Ita intellectus corruptus eſt, principia ſua generaliter etiam Theologicis immiſta vult, & ex ijs myſteria fidei oppugnat. Hac ratione Trinitas, incarnatio, reſurrectio homini animali ſunt ſtultitia, *1. Cor. 8. ṽ. 14.* Ita veritas Philoſophica, prout putatur à Philoſopho, ſæpè contrariari Theologiæ poteſt. Sic cum in Philoſophicis *leges de poſſibilibus* ſcribendas dicitur, ſtatim ad leges divinas in ſtatu corruptionis idem trahitur. Cum *boni quid* agendum, ſemina naturæ ſubeſſe oportere dicitur, ſtatim ad opera ſpiritualia ex nobis producenda in Theologicis applicatur. *III. Philoſophia hoc modo ſpectata myſteria fidei oppugnare non debet, expugnare non poteſt. Oppug. non debet:* Eſt enim diverſa omninò diſciplina à Theologiâ, diſparato ob-

to objecto & considerandi modo prædita. At ex disparatis considerandi modis vera oppugnatio fieri non debet, non enim feriunt ὁσαύτως & ad eundem modum & respectum, qui hic semper observari debet. Est præterea per lapsum & conditionem hominum corrupta, cæca, obscurata. At tale quid Theologiam, ut lumen clarissimum, oppugnare non debet. Et huc pertinet, cum authores hanc mulierem, Rationem, tacere debere in Ecclesia dicunt, *Buscher. in paran.* Cum canem balneo exesse debere dicunt. *Pareus l. 4. d. lib. arb. c. 10.* Cum Athenis & Hierosolymis nihil commune esse dicunt. Hic ratio in quantum corrupta, captivanda, ne dominetur, non ut ratio, prorsus extinguenda, ut emoriatur, aut trucidanda, ut sepeliatur. *Non debet* insolescere per dominij affectationem: sed nec *brutescere per totalem omnis discursus abdicationem. Expugnare non potest*; nam corruptum incorruptibile, egenum validum, natura creatorem, expugnare nullo modo potest.

32. Fuerunt affectiones Philosophiæ *consentaneæ. Dissentaneæ sunt*, quæ naturæ ejus non conveniunt, sed ab eâ disparantur. Suntq; *partim diversitas* ab omnibus cœteris habitibus realib. & instrumentalibus. *V. Coron. Log. t. 3.* Et ab instrumentalibus differre eoipso patet, quòd instrumenta nunquam veræ partes propriè loquendo illorum sint, quorum sunt instrumenta, ut alibi docebitur: *partim Oppositio* ejus ad nonnulla, qualia sunt ἀφιλοσοφία f. mera ignorantia, quam fratres Ignorantiæ simplicitatem vocant, *V. Scaligerum ex. 6. f. 4. & ex. 307. f. 3. 26.* Qui in ore habent dictum hoc:

Philo-

Omne Philosophari est scortari: Et qui vult amicus esse Dei, caveat sapientiam Philosophi. Om. usus rationis in Theologiâ est abusus. Quibus meritò opponetur illud: *Philosophiam, explicationem luminis naturæ, ex homine tollere*, & lumen naturæ in homine damnare est hominem in homine damnare, & hominem ex homine tollere. *Usus* rationis in scripturâ adhibetur, non prohibetur: utilis est, non futilis a. noxius, necessarius, non superfluus, ut plurib. alibi dicetur. *V. d. 10. Gym. Log. ç 20.* Nec scriptura *brutis* est data, sed hominibus, intellectu præditis, & qui sensum verborum eruere, ac assequi & defendere possint: Et Κακοφιλοσοφιά, quâ Phil. distorquetur ad vanitatem subjectorum utentium, ut ad imponendum, incrustandum, ostentandum, veritatem subruendam, &c. De his *D. Meisner. c. l. ar. 2. Keck. c. l. c. 1. ult. aliosq; vide.*

Auctaria.

I. Qui *fallacias pro numeris terminorum augent, ut materiæ, finis, efficientis, Conjugatorum, fallaciam dicant, ut* d. 15. Gym. Log. c. 12. *monitum: Eadem ratione & formâ ex* Metaphysicis *fallaciam Entis, unius, veri, boni, perfecti, finiti a. infiniti, necessarij a. contingentis,* ex Physicis *fallaciam loci, motus, & temporis, generationis, corruptionis, alterati-*

rati-

rationis, nutritionis, vitæ, mortis, ex Grammaticis *fallaciam Etymologiæ, Orthographiæ, Syntaxios*, Ex Rhetoricis *fallaciam Metonymiæ, Synechdoches, aliaq; hujus generis acervent, ut numerum fallaciarum satis completè exhauriant. At alienum hoc futurum ipsi vident. Certi enim tituli fallaciarum Logici & ex argumentandi ratione, non quovis termino in argumentatione occurrente, sumpti esse debent, ad quos vitia circa res omnium disciplinarum, sive Metaphysicæ illæ, s. Rhetoricæ, s. Grammaticæ, s. Theologicæ, sint, commissa tanquam ad tribunal sisti, & ex quibus judicari & judicari debent.* Nec *methodus Logica abundare in superfluis, ut nec deficere in necessariis debet.*

2. Amphiboliæ *in fallacijs Exempla sunt: Qui sunt domini sui, sunt sui juris. Servi sunt domini sui. E. sui juris. Socrus oderunt nurus. E. nurus odio prosequuntur socrus suas. Oportet me Romam videre, ait Paulus*, Act. 19. ℣. 21. E. *Roma urbs vidit Paulum. Rumor est, uxorem habere te. E. uxor tua habet te. Ajunt, Aristotelem Platonem doctrinâ superare. E. Plato doctior est Aristotele. Sed hoc exemplum, Qui librum in lucem mittit, ab omnibus eum legi vult. Qui librū in ignem conjicit, in lucem eum mittit. E. q. l. i. ig. con. ab om. eum legi vult, quod pro amphiboliâ Burgersdici: l.2. Log. c. 26. habet, melius ad homonymiam referetur. Est n: phrasis ex significato vocum, non constructione,* ambi-

*ambigua, Librum in lucem mittere, quæ & propriè &
tropicè sumitur.*

3. *Duæ naturæ Christi à Deo conjunctæ, in De[i]
unitæ, adeò inseparabiliter sunt unitæ, ut nec in mor-
te unio earum personalis sit soluta, sed et in triduo mor-
tis hic homo fuerit filius Dei viventis, & si unio ani-
mæ & corporis naturalis soluta fuerit, & sic natura-
lis vivusq; homo Christus non manserit.*

4. *Propositiones, DEus est passus, annumeran-
tur enuntiatis paronymis proprijs, non quòd verum ac-
cidens proprium ibi prædicetur: sed quòd extraessenti-
ale prædicatum mysticum appropriatum.*

5. *Passus est Christus totus DEus & homo, u[t]
subjectum Quod & adæquatum, unde Deus dicitu[r]
redemisse Ecclesiam,* Act. 20. ℣. 28. *Passus est carn[e],
ut subjecto Quo & receptivo, unde σαρκὶ παθὼν di-
citur.* 1. Petr. 3. v. 18. c. 4. v. 1. Patres *quidam Deita-
tem passam ajunt: sed impatibiliter, & citra σύγχυ-
σιν Eutychianam, Monotheliticam, aut Theopaschi-
cam. Nec inde solam carnem passam dices, ut nec so-
lum corpus hominis mori, si hominem secundùm
corpus mori asseveres.* Compositum *n. disso-
vitur.*

H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.